

78 M 490
E 153

DISPV TATIO PHILOLOGICA
DE
P A V L I
ANATHEMATE VOTIVO
AD ROM. IX. 3

P R A E S I D E
IOANNE IVSTO SPIER
PHILOS. M. ET ACAD. BIBLIOTHEC.
P V B L I C E D E F E N D I T
IACOBVS MOKOSCHINI
HONTENSIS HVNGARVS

VITTEBERGAE SAX.
D. XVI. NOVEMBR. A. R. S. C I O I O C C X L I I I

PRELO EPHRAIM GOTTLÖB EICHSFELDI
ACADEMIAE A TYPIS

Ex Libris

D. O. Fritschii.



Kapsel 78 M 490 (15)



DE
P A V L I
ANATHEMATE VOTIVO

I.



uem Pauli apostoli locum iam ag-
gredimur tractandum, is quasi
lapis offendionis est, in quem in-
terpretes etiam non minuti val-
de offenderunt, imo crux est,
qua philologi bene multi mul-
tum se excruciauerunt. Quod ex
illis constat auctioribus, (*) qui a
Viro desideratissimo celeberrimi
moque Ioanne Christoph. Wolfio in Curis Phil. &
Criticis, itemque a Christoph. Henr. Scheteligio in
A biblio-

moque Ioanne Christoph. Wolfio in Curis Phil. &
Criticis, itemque a Christoph. Henr. Scheteligio in

(*) Quibus addi possunt M. Christoph. Ganche in disp. de anathema-
te Pauli votiuo, Lipsiae 1729. 4½ plag. & quod ex literatis Hamburg.
huius anni Relationibus p. 328. didici, scriptor anonymous im Hes-
schen Heb: Opfer part. 32.

bibliotheca disputationum copiose hic excitantur. Nobis igitur videndum est, ut aliorum periculis admoniti, sed firmis quoque certisque auxiliis praesidiisque adiuti & communiti, in veritatis portum tuti perueniamus. Quod institutum fortunare velit summum ac benignissimum Numen.

II.

Pauli verba, Rom. IX, 3: Ήυχόμενοι γάρ, αὐτὸς ἔγω αἰνά-
θεμα εἴναι ἀπὸ τῆς χριστᾶς ὑπὲ τῶν αἰσιλφῶν μη τῶν
συγγενῶν μη κατὰ σάρκα.

III.

Hυχόμενοι In hoc verbo age contemplemur I) significationem. Namque in ipsa vocis potestate variatur. Εὔχουμαι, iudice Stephano in 'Thesrauro, *est opto, precor, oro, glorior, voueo.* Notio *optandi* hic vulgo probatur, sed nobis *VOVENDI* idea arridet, quam a) v s v s graeci oris admittit. Iosephus, Paulo nostro fere aequalis, de bello Iud. libr. 2, c. 15 ita scribit: *Berenice illa tunc (a. D. 66) erat Hierosolymis, ΕΤΧΗΝ ἐπελέστα τῷ Θεῷ, ΒΟΤΥΜ persolutura Deo.* Τὰς γὰρ ἡ νόσοις καταπονώντας ἡ τισιν ἀλλας σινάγουσι, ἔθος, ΕΤΧΕΣΘΑΙ περὶ τελεαντας ἡμερῶν ἡς αποθάτεν μέλοισν Θυσίας, ὅπος τε αἱ φέξεσθαι καὶ ξυρίσασθαι τὰς κώμας. Namque illi, qui vel morbo aliquo vel aliis necessitatibus premebantur, solebant SVSCIPERE VOTUM abstinendi a vino & radendi caput triginta dies ante sacrificiorum oblationem. Conf. Lardneri fides historiae euangel. part. I, p. 366 & Ikenii antiqu. hebr. part. I, c. XVI, §. 10. it. Vers. LXX, Leuit. XXVII,

2. 8.

2. 8. Num. XXX, 3, 4. 10. Deut. XXIII, 21, 22. Psalm. LXXV, 11. Ion. II, 10. Eandem *vouendi* notio-nem voci ΕΥΧΕΣΘΑΙ frequentissime subiectam re-perimus in Philone edit. Frf. p. 774, 775 sexies, 836, 846, 847. &c. Plurium locorum studiosos ad Trom-mium, Stephanum & Scapulam delegamus. Deinde b) notionem illam argumentum in quo occupatus est Paulus, siue *materia substrata* ut cum scholaisticis lo-quamur, non permittit tantum, sed postulat, sed fla-gitat. Ecquid enim S. Paulus ἡγάπτο? nonne εἴναι αὐτός θερα? Iam vero αναθίματα quoque in numero voto-rum ponuntur, vti vel ex hoc exemplo appetet: *cum Cananaeus rex Aradi quosdam ex Israelitis in captiuitatem abduxisset, בְּךָ רַבֵּד יִשְׂרָאֵל*, vers. LXX *καὶ ΗΓΕΑΤΟ Ισραὴλ ΕΥΧΗΝ κυρίῳ*, tum vovit Israel votum Iehouae, dicendo: *si dederis popu-lum hunc in potestatem meam, וְהַחֲרַתִּי* vers. LXX: ANAΘEMATΙΩ αὐτῷ, tum anathematizabo eum, ur-besque eius; *cumque Deus Israeli annuisset, illosque Cananitas tradidisset, וְיִחְרֹם καὶ ΑΝΕΘΕΜΑΤΙΣΕΝ* tum anathematizauit eos urbesque eorum, nominauit-que istum locum חֶרְמָה, ANAΘEMA, Num. XXI, 1-3. c) An Chrysostomus & Theodoreetus idem sen-serint, parum plane constat; constat tamen, eisdem emphasin non prorsus omnem latuisse. Sed ipsos au-diamus. Chrysostomus homil. XVI, in ep. ad Rom. p. 183 edit. Commelin. scribit: *καὶ ὅδι ἀπλῶς ἐπεν ἐβγάλουν, αἷλα ἐπιτένων αὐτό φησι, καὶ ἡγχόμην, nec simpliciter dicit Paulus: vellen, sed id intendens ait: ἡγχόμην.* Theodoreetus autem Commentar. ad h. l. p.

73 & 74 edit. Paris. a. 1642 ait: *καὶ τὸ εἶπεν ἐβελόμην,
οὐχὶ τὴν χούμην.* — Εγὼ μέν, Φησί, τὸν ἐβελόμην μόνον, ἀλλὰ καὶ
τὴν χούμην. — II) In hoc verbo restat, ut, quid forma Imperfecti Indicativi sibi velit, dicendum videatur. Nobis placet haec translatio: *voverem, vellem vovere*, scil. si possem, si liceret. In qua translatione non recedimus a) ab *usu Graecorum*. Quippe sensum hypotheticum siue cum conditione tacita aut expressa coniunctum, scriptores Graeci, sacri aequae ac profani, per Imperfectum Indicativi saepe exprimere solent. Ita Agrippa Rex ad Festum ait: *ΕΒΟΤΛΟΜΗΝ καὶ
ἀντὸς τῆς αὐθρώπου ἐπιστα VELLEM, si liceret per com-
moditatē tuām, etiam ipse hominem illum audire* AEt. XXV, 22. Ita Paulus Galatis suis scribit: *ΗΘΕΛΟΝ
παρεῖναι πρὸς ὑμᾶς ἔτει VELLEM, si possem, hoc tem-
pore praesens esse apud vos* Gal. IV, 20. Arrianus p. 46 *ΗΘΕΛΟΝ* ἀντὸν νῦν *παρασάς ὑπομνήσα τῶν
λόγων, VELLEM, si possem, ei nunc coram in memo-
riam reducere sermones illos.* Idem p. 220. *ΗΘΕΛΟΝ
πλευσαὶ εἰπ' αὐτῷ τῷτο, LIBENS ad huiusmodi certamen
vel nauigando TRAIICEREM maria ἔτει.* Aristophanes ab Erasmo Schmidio excitatus: *ιδὼν ΕΠΕΙΘΟΜΗΝ,
crederem, si viderem.* Similia exempla plura ex Demosthene depromsis exhibuitque vir Anonymus in *Fortgesetzten Sammlung von Alten und Neuen* a. 1730, p. 83. sq. Neque recedimus b) ab *usu Latinorum*. Ciceron in Orat. pro Sext. Roscio Amerino c. XII: *pro quo
(patre) mori filium, si res postularet, iura diuina huma-
naque COGEBANT. i. e. cogerent.* (*) Neque desti-
tui.

(*) Itaque, si etiam apud Latinos illa Imperfecti forma sit dubiae

tuimur c) *interpretum* quamplurimorum *consensu*, si quidem in Paulo conditionem hic agnoscunt Chrysostomus homil. XVI, in ep. ad Rom. Theodoretus h. l. Photius epistol. 216, Erasmus (*) Roterodamus, Robertus Gellus, Lightfootus, Herm. Witsius, Grotius, Beza, Aegid. Hunnius, Erasmus Schmidius, Glassius in Rhetorica Sacra, Calouius, Io. Franciscus Buddeus in Theol. Moral. p. 151, Wolfius Hamburgensis, alii.

IV.

Aυτὸς ἐγώ] Hic exquiramus I) SIGNIFICATIO NEM, quam a) Cel. Heumannus in Poecil. T. I., p. 466 declarare conatur his verbis: **I**LLE **E**GO, **Q**VI **N**VNC **n**on **p**ostrenius **a**pstolorū **s**um & **p**ro **C**hristo **m**ortem **s**aeuissimam **o**ppetere **g**estio; **e**go, **i**nquam, **Q**VI **N**VNC **n**ullo **p**actō **a**uelli a **C**hristo **p**ossum **v**t **s**uperiori **c**apite **d**ixi **g**rauissimeque **c**onfirmāui; **o**LM **i**nfensissimus **h**uius **m**ei **n**unc **D**omini **h**ostis **f**ui. Sic Lucae XXIV, 39 Christus ait: αὐτὸς ἐγώ εἰμι, **e**go **q**ui **m**odo **m**ortuus **e**ram, **n**unc **v**ivō. Nec ignoratum **e**st Virgilianum illud: ille **e**go, **q**ui **q**uondam, **c**etera. Pari modo Ouidius e Ponto I, 2. 131 & 134 ille **e**go **s**um, **q**ui **t**e **c**olui. . .

A 3

ille

ambiguaeque interpretationis, ex voce *Optabam* incerta atque infirma est illatio, Versionem Vulgatam ac patres quosdam latinos per *Optabam* indicare votum, a Paulo in Iudaismo susceptum. Sed & illa ipsa Versionis Vulgatae ambiguitas occasionem fortasse dedit errori, quo latini quidam doctores Paulum in Iudaismo se deuuentem hic sibi vidisse imaginabantur.

(*) Celeb. D. Heumannus in Poecil. T. I., p. 465, *notatu dignum ex* istimauit, PRIMVM omnium Erasinum Roterodamum, vt ex annota^rtionibus eius appareat, τὸ Ἡγέριν expousisse per optarem vel optarim: quem secuti posterioris actatis interpretes. At enim vero triuiri, supra dicti refragantur.

ille ego, qui duxi, cetera. Sed b) nostra sententia melius redduntur ista verba per: *egometipse*, ich selbst, in eigener Person. Fauet enim nobis a) *vsus* huius significationis in N. T. constans. Exemplo sit ille ipse Heumannianus locus, Luc. XXIV, 39. vbi Christus ex mortuis excitatus, cum suis appareret apostolis, dixit: *videte manus & pedes meos, omnes autem esse credite mihi.* Nam ipse ego sum. Ich selber bin es, oder ich bins selber in eigener Person. Non videris spiritum aut Φωτασμα. Ita 2 Cor. XII, 13. *quid est, in quo fueritis inferiores reliquis ecclesiis,* nisi ετι αυτος εγω ε κατενέγκησα υμῶν, quod egometipse non molestauerim vos. conf. v. 16-18. & Rom. VII, 25. XV, 14. 2 Cor. X, 1. Pertinet hoc, a Raphelio in annotatt. Herodoteis ad Rom. VII, 25. p. 434. allatus, Herodotus lib. 3. p. 211. B. lin. 2. ΕΓΩ ΑΥΤΟΣ ἔθαψα μη χρεοῖ τῆτι εμεωντάς, EGOMETIPSE sepeliui hominem meis manibus, & p. 223. lin. 5. ετε ΑΥΤΟΣ ΕΓΩ, ετε δι αὐτούς εμεῦ αἰσι γνόμενοι. Neque EGOMETIPSE, neque ullus unquam posteriorum nōeorum. His associemus alium Herodoti locum libr. III. p. 221. lin. 42. edit. Iungermani: Zopyrus ad Darium respondens dixit: *alius homo niki hoc non fecit, αλλ' ΑΥΤΟΣ ΕΓΩ ΕΜΕΩΤΤΟΝ,* sed EGOMETIPSE ME IPSVM ita mutilavi. Fauet nobis β) translatio Syra, dicens: *vourem, ut ego in substantia mea essem.* Iam exquiramus II), quo referri debeant illa verba: αυτος εγω. A plurimis referuntur ad ινχόμην, hoc fere sensu: Non Iudei solum vount, aut vouerunt, sed etiam ego vouerem, esse anathema, ita ut respiciat Paulus ad Iudeos, christiani nominis hostes, qui se anathematizauerint, nisi Paulum tanquam Iudaeum apostamatam ex vita sustulerint, siue anathe-

anathematizauerint, A&t. XXIII, 12. *A nobis vero referuntur ad ἐναγγείλησα, quamque relationem comprobamus* α) *translatione Syra, quae habet: vouerem enim, ut ego in substantia mea essem anathema a Messia. Quod etiam Arabs interpres, ni fallor, indicare voluit, dicens: vouerem, corpus meum esse anathema. Quod deinde voluit transpositio illa, in Codicibus quibusdam obuia, qua, teste Millio ac Kustero, Alex. Clar. Chrysost. & Born. legunt: ἀνάθεμα ἐναγγείλησα ἀντὸς ἵγιος. Quo quidem auxilio postremo non indigemus.* Comprobamus ε) *ex sententiae prioris discordia cum historia temporum. Quomodo, quaeſo, Paulus in epiftola ad Romanos, anno Christi 56 exarata, respicere potuit ad historiam illius ἀναγεματισμοῦ, A&t. XXIII, 12, aliquot post annos suscepit. At enim vero ad alium ἀναγεματισμὸν respexit Paulus, qui illum tempore antecessit. Imo vero alium illum vbinam A&ta Apostolorum tradunt? vbinam literae Paulinac commemorant? Comprobamus γ) ex maiori tum commoditate sensus nostri, tum ritus frequentia. Si enim verba haec: ἀντὸς ἵγιος referantur ad ἱουχέαννην, obscurum quodammodo es-
set, in quem istud anathema cadat. Eequid enim est: votum etiam ego nuncuparem, anathema esse me vel alium. Certe planissime ac commodissime dicitur: Votum nuncuparem, vt egomet ipse, ich in eigener Person, essem anathema. Sed vt expromam, quid cum ritus frequentia velim, Israelitae semetipsos rarius, alios frequentius anathematizabant. Ergo, vt occasiōnem ritum frequentiorem praesumendi siue cogitandi, clarissime ac disertissime praescinderet Paulus, seipsum nominat, seipsum designat tanquam anathematis*

tis

tis obiectum. Huc accedit δ), quod si priorem sententiam dicere voluisset Paulus, aliter scripsisset, & hunc quidem in modum: Ήν χόμην ΚΑΙ αὐτὸς, etiam ego voverem. Quemadmodum Agrippa rex ad Festum ait: Εἶπε λόγου ΚΑΙ αὐτὸς, τῷ αὐθρώπῳ αἴθωι, Act. XXV, 22. Etenim haec verba: αὐτὸς ἐγώ, saepissime quidem occurunt, nunquam tamen vertenda: etiam ego, sed egometipse, vti proxime declarauimus. ε) Neque tremenda est obiectio illa, quasi Paulus, si hoc exprimeret voluisse, scribere debuisse in Accusatiuo, hoc modo: Ήν χόμην, ΑΥΤΟΝ ΕΜΕ ἔναντι αὐτοῦ θεμα. Quandoquidem vel ex Welleri Grammatica Graeca p. 316 notissima haec regula est: *Infinitiu[m] praece[di]t Nominatiu[m]*, *cum in eadem persona oratio subsistit, ut: Φησίν, ΑΥΤΟΣ αἰτίος γεγενῆθαι, dicit, se fuisse auctorem.* Herodotus in Calliope c. 16: Ἐφη δὲ Θέρσανδρος, πληθῆναι καὶ ΑΥΤΟΣ ἵππο τὸ δεῖπνον, dixit autem Thersandrus, se quoque esse inuitatum ad hanc coenam. Demosthenes pro Coron. τὸ μὲν μυριάντις μυρίς ικεκηρύχθαι, παρελέπω, καὶ τὸ πολλάντις ΑΥΤΟΣ ἐξεφανῶθαι περότερον, mitto, infinitos centies proclamatos esse, ac meipsum antea saepius coronatum.

V.

Aναθέμα] Mirum hoc vocabulum est, mira eius potestas, quod non modo populis sacerrimis perniciem attulit, verum etiam pia ac docta principum philologorum ingenia excarnificauit. Quare enitamus & efficiamus, vt in incerto ne vagemur. Iam vero certum est, 1) αναθέματα atque αναθήματα significandi potestate esse diuersa, nec inter se confundenda.

da. vid. Wolfius Hamburgensis h. l. Deinde certum est, 2) tutiori illos insistere *navori*, qui vocis huius controuersae vim ex sacris vtriusque foederis tabulis ac vetustissimis earum versionibus, itemque, si fieri posset, ex Iosepho ac Philone, apostolo fere aequalibus, endandam stabiliendamque censem, quam qui ad Rabbinorum scita aut ad scriptores Graecos profanos aut ad Patres ecclesiae configuiunt. De sacris illis tabulis non est quod afferamus. Sed & Iosephi ac Philonis visus in vocibus, ritibus, historiisque N. Testamenti declarandis, vel ex Lardneri fide historiae euangelicae patet. Quanquam de illorum auxilio in causa praesenti valde dubitamus, quippe cum in Iosepho quamuis peruvolutato, anathematis vocem haud inuenierim, & scriptio Philonis, in qua mihi semel iterumque duram illam vocem deprehendisse visus sum, oculos manusque euaserit

Par leuibus ventis volucrique simillima somno. Rabbinos autem quid consulamus, cum homines isti sint plerique noui, & de excommunicationibus interesse repugnant. Comparentur huc Seldenus de I. Naturae & Gent. itemque de Synedriis, Vitrina in Synagoga Vet. Danzius de ritibus excommunicationis, Georgius Vrsinus in antiquitatibus hebraicis, Lampadius Commentar. in Iohannem, M. Theophilus Grabnerus in disp. de excommunicatis per insomnia, alii. Sed age, vera & consentientia sint illorum statuta, nec sic tamen necessarium fuerit ab ore pendere eorum, quibus omnino minor stat fides. Id quod etiam de Christianae ecclesiae sic dictis patribus iudicandum est. Sint maneantque hi & isti suae quisque ecclesiae te-

B

stes,

stes, modo ne constituantur iudices ac controuersiae huius deciduae Canon. At profanos scriptores Graecos quidni hic audiamus. Immo audio, ad illos quoque saepenumero prouocari Narrant nonnulli, *ἀνάγνωστα* a Graecis profanis dictos fuisse eos, qui omnibus diris deuouebantur. Verum enim vero narrant tantum, quippe locum, qui vocem controuersam habeat, nullum neque ipsi excitant neque ego reperire potui. Nam Hesychius Alexandrinus, cuius Lexicon a quibusdam hic appellatur, rectius cum Christianis quam profanis graecis annumeratur, quin imo dirimirendis virorum doctorum explicationibus anathematis per segregationem a communitate & societate vel ecclesiae visibilis, vel omnium viuentium in his terris, vel beatorum in coelo, haud sufficit Hesychius, nimium laxe scribens: *ἀνάθεμα* est *πόντος*, *ἀνοινώντος*. Evidem dubito, certe vna cum multis splendide ignoro, an vox anathema a graeco quodam scriptore profano, qui seruatoris nostri natuitatem antecesserit, commemoretur. Itaque ergo non habeo respondere illis, quibus ex V. T. translatione Graeca Alexandrina quae LXXII virorum dicitur, vocabulum illud haustum esse videtur, opinantibus, talia vocabula plura in N. T. deprehendi, in nullis auctoribus praeter Alexandrinos adhuc inuenta, e. g. *ἴξιλοθρίνομαι* Act. III, 23. *περιπάθεμα* i Cor. IV, 13. *περιβόσιος* Tit. II, 14. *χαριτών* Luc. I, 28. Ephes. I, 6. *προβλέπομαι* Hebr. XI, 40. &c. &c. (*) At obscurus ita

Pau-

(*) Harum & similius vocum, quae a quibusdam Alexandrinae vocantur, vindicandarum gloriam literatus orbis videt esse relictam Kirchmaieris ac Georgii, quorum cura in afferendo puro N. T.

Paulus fuit suis Romanis, si non Romanis Iudeis, in Alexandrina vocabula diu iam adsuets, certe tamen Romanis gentilibus, ad Christi sacra recens conuersis. Fuit, credo, obscurus. Fuit idem quoque alibi obscurus Romanis, saltem illis, qui vel Graecam linguam, qua literas suas scripsit, vel ritus historiasque Hebraeorum, e. g. c. VII, 1. c. XV, 12. vel vocabula hebraea e. g. αββα VIII, 15. βαλ c. XI, 4. Σατανᾶς XVI, 20. &c. non calluerunt. Quid igitur inde? Ergo informandi ab Iudeis erant Romani, hebraicorum vocum & rerum ignari. Sed quorsum haec omnia dispuo? vt lapidem Lydium inueniamus, ad quem diuersas ειναις εματος explicationes examinemus. Iam vero 3) certum est, vocabulum ειναιευα, cum coniugatis suis in N. Testamento frequentissime usurpatum, ab interprete Syro semper reddi per חָרָה. vid. Act. XXIII, 14. Rom. IX, 3. 1 Cor. XII, 3. XVI, 22. Gal. I, 8. 9. Marc. XIV, 71. Act. XXIII, 12. 14. 21. Matth. XXVI, Apoc. XXII, 3. Porro 4) certum est, eodem vocabulo, cum coniugatis suis in V. quoque Test. frequentissime usurpato, exprimi hebraeorum חָרָה. vid. Leuit. XXVII, 28, 29. Num. XVIII, 14. XXI, 2. Deut. VII, 2. 26. XIII, 15. 18. XX, 7. 17. Ios. VI, 17. 21. VII, 12. 13. 15. VIII, 26. Iud. I, 17. XXI, II. 1 Sam. XV, 3. 9. 15. 18. 29. 2 Reg. XIX, II. 1 Chron. IV, 41. Es. XI, 15. XXXIV, 2. 5. XLIII, 28. Mich. VII, 2. Zach. XIV, II. Malach. III, 24. Deut. II, 34. III, 6. Ios. II, 10. X, 28. 35. 37. 39. 40. XI, II. 12. 21. 1 Reg. IX, 21. Es. XXXVII, II. Ier. XXV, 9. L. 21.

B 2

LI,

stilo diu ac multum ac luculenter versata, illas voces nondum attigit.

LI, 3. 2 Chron. XX, 23. XXXII, 14. Exod. XXII, 19.
 & quae sunt alia loca, ex Trommii Concordantiis
 LXX viralis Versionis facile euoluenda. Ergo in-
 de stat regula, docens, חֶרְם ἀνάθεμα esse synonyma.
 Ergo ex illis locis recte exquiritur & construitur iusta
 significationis anathematis definitio. Videmus autem ex-
 inde, anathematizata fuisse inanimata, sed & animata,
 bruta atque homines. De inanimatis aequa ac brutis di-
 cere hic nihil attinet. Nam disputamus de anathemate
 Paulo. Sed ad homines quod attinet, certum est (5), il-
 los ab Hebraeis olim, potissimum ad fundamenta verae
 religionis stabiendi & conseruandi, anathemati fuisse
 votos vel deuotos. Talibus deuotis supplicium, siue
 mors corporis, debebatur. Hoc spectant, hoc volunt
 primo LEGES, Leuit. XXVII, 28, 29 & Deut. XIII,
 13 - 18 expressae. Ibi extant haec verba: בְּלִיחָרֵם אֲשֶׁר מִזְחָדָם לֹא יַפְרֵה מוֹת וּמוֹת
 Vers. LX. פָּנָן ἀνάθεμα οὐγίων οὐγίων ἔτι μὲν αὐτοῖς, οὐ πᾶν, δὲ εἰν αὐτοῖς θηρίον
 τῶν αἱθρώπων, εἰ λυτρωθήσεται, εἰλλαὶ Σαράντα Σανατωθήσεται.
 Omne anathema, quod de homine anathematizatum fue-
 rit, non redimendum, sed morte adficiendum est. Hic
 vero extat praeceptum, ut, si qua urbs Israelitica a ve-
 ri Dei cultu apostatans siue deflectens, alios sectetur de-
 os, tanquam anathema ab Iudeis funditus deleatur.
 εὐαγγελικαὶ αἱθρωτῆτες αὐτὴν οὐ πάντα τὰ εἰν αὐτοῖς. Sed
 & unus homo Israëlite, verum veri Dei cultum malitiose
 deferens, extremo supplicio plectendus erat, cap. eod.
 comm. I - II. (*) Hoc spectant, hoc volunt quoque

EX-

(*) Videatur huc Lardnerus in Fide historiae euangelicae p. 375-
 379. qui illam Mosis legem ex Iosepho & Philone diligenter illu-
 stratum iuit, nisi quod unum Philonis locum praetermiscerit, quem

EXEMPLA, vti Canaanitarum, quos vna cum instrumentis idololatricis, statuis, altaribus, lucis &c. anathematizando delere debuerunt & delerunt Israëlitae. Exod. X XIII, 24. XXXIV, 13. Deut. XII, 2, 3. c. VII, 1-4. XIII, 15. Postremo certum est 6) talem anathematis mortem fuisse sacerrimam, Leuit. XXVII, 28, ac religiose infamem, vtpote caussa religionis verae, cum maxime laesae, inflictam. Nec falso. Quantum enim diuinæ maiestatis numen ab humana vilitate distat, tantum illius laesae atrocia atque infamia hanc humanae vilitatis laesionem superat. Quam quidem rationem pluribus legibus subesse, recte obseruat Spencerus in libro de legibus Hebraeor. ritualibus, p. 28. edit. Cantabrig. ita edifferens: *Proclive est obseruare, Deum cui libet legi rituali, manu elata Num. XV, 30, h.e. proterue & ex praemeditato violatae, supplicium extreum statuisse; quum tamen peccatis, sua natura grauioribus, (fornicationi, furto, proximi mutilationi & eiusmodi) poenas longe mitiores irrogarit.* Maimonidem, rei hu-
iusce rationem sic optime reddentem Mor. Neu. part. 3,
cap. 41 audiamus: *Nemo ita, h.e. manu elata, peccat,*

B 3

nisi

ex libro eiusdem de victimas offerentibus p. 855. hic expromemus: *quodsi quis sumto prophetae nomine & habitu, correptum se diuino spiritu simulet, atque ita ad extenorum deorum cultum induceret, caendum est, ne quis decipiatur a personato propheta. Praefligiator enim, non vates, est. Quandoquidem autem mendacia commentus est & falsa oracula, etiam si frater, aut filius, vxor aut filio, sanctuaris aut amicus sit, si per speciem benivolentiae petire te ad impiesatem suam inducat: necandus est tanquam hostis publicus sine respectu priuatae necessitudinis; & adhortationes illius proferendae sunt ad omnes pietatis cultores, qui absque mora in scelsum irquent, rati sanctitatis officiam, talem hominem occidi-
re, reliqua.*

nisi cuius animo insidet opinio vel dogma aliquod, legis intentioni repugnans. Hinc communis & recepta legis huius expositio est, quod in ea loquatur scriptura de idololatra, eo quod is primariis & principalibus legis fundamentis aduersetur. Huic rationi confirmandae argumentum praebent ipsa legis illius Num. X V, 30. verba: *iste dominum probris afficit: dominum eiusque legem in cordis secreto probabula habet & inani terriculamento, seque ad Deos ritusque gentilium denique recipere meditatur.* Cum itaque, ut institutum persequar, filii Gad & Reuben legis τὸ πνεῦμα, priuatum sibi altare struendo, violassent; Israelitae, factum illud in partem sequiorem interpretati, armis infestis contra fratres prodeunt, ut eos tanquam idololatras Deut. XIII, 12-15. & apertos legis contemptores, interimerent. Quo itaque filii Reuben omnem tanti facinoris suspicionem a seipsis amouerent, responderunt, se nihil per rebellionem aut praeuaricationem i. e. manu elata & contra legis διάβολον, perpetrasse. Ergo Paulus, dum se ἀναδέουat, deouere cupit, non mortem cruentam tantum subire cupit, quam homicidae aliique peccatores plures subeunt, sed mortem insimul *sacerrimam religioseque infamem*, quam peccatores rebelles, praeuaricatores, idololatrae, apostatae subire tenentur.

VI

Aναθεματικῶν] Haec verba duplarem admittere vindicantur interpretationem. I. enim Paulus capitale supplicium subeundo, vitae naturalis bonaeque famae siue existimationis, imo & vitae aeternae iacturam facit, ut Israelita apostata, verus verae reli-

ligionis hostis ac fundamentorum religionis euersor malitiosus.

II. Vel *αὐτὸς εμα* esse cupit *και* *αὐθεώπεις*, s. *κατὰ δόκησιν*, ex opinione hominum quam plurimorum tantum. Hoc modo Paulus anathema esse cupit non reuera & coram Deo, sed tamen hactenus esse cupit, ut censeretur & tractaretur tanquam anathema. Ita Paulus vitae non aeternae sed huius naturalis tantum & bonae famae iacturam facit. In hanc sententiam Paulus omnino explicari potest. Quandoquidem

1) vstatissimus in sacris est hic canon: verba esse & fieri saepe sumuntur tantum pro rei opinione, & sic φανουρίως, reputatiue & quoad tractamentum intelligenda sunt. Vid. Glassii Philolog. sacr. libr. III, tract. 3, can. XVIII, & libr. V, tract. I, c. 4. §. IV. Ita i Regg. I, 21. & fiet cum occubuerit Dominus meus Rex cum patribus suis, וְהוּא בְּנֵי שֶׁלֶמֶת חֲפָאִים אֱנוֹן tum ego Bathseba & filius meus Salomo erimus peccatores, h. e. non reuera erimus peccatores, sed tamen habebimur, estimabimur, & tractabimur tanquam peccatores. Ioh. V, 31. *Quod si ego Christus testimonium perhibeo de myself, testimonium meum non est verum* h. e. a vobis non habetur, non tractatur, non recipitur tanquam verum. collat. c. VIII, 16. His aliisque exemplis Glassianis adiugatur seq. i Cor. II, 14. τὰ τὰ πνεύματος τὰ Θεῖα μωρέα ψυχικῶς αὐθεώπειως. *Spiritus Sancti negotia non sunt reuera stulta, sed tamen aestimantur & tractantur tanquam stulta ab homine, Spiritus diuini experte.*

2) Neque natura obstat anathematis, quippe quod non semper cum cruciatibus inferni vitaeque aeternae iatura coniunctum fuisse, patet a) exemplo animalium
bru-

brutorum per *αὐτόν* subiectorum morti, num infernali? Patet id 3) exemplo Achaniis aliorumque triginta sex virorum, qui in poenam anathematis incurserunt, Ios. VI, 18-VII, 25, de quorum salute aeterna (*) non dubitant omnes. Imo patet γ) exemplo sospitatoris nostri Iesu Christi, qui quidem habitus & tractatus est tanquam peccator & homo maledictus, impostor ac verae religionis euersor, vid. historia passionis, it. Galat. III, 13. 2 Cor. V, 21. tamen nihil quicquam peccauerat, ergo ipse non habendus est *αὐτόν* οὐας αἰλιθείαν, sed potius nunquam non depraedicandus atque in omni vita nostra honorandus est. 1 Cor. XII, 3. *Qui sunt reuera Christiani, cogi non possunt, ut maledicant Christo,* teste Plinio, Lib. X. ep. 97. cuius rei illustre exemplum praeceps Polycarpus martyr, qui a. 167. a Proconsule iussus maledicere Christo, respondit: *Octoginta sex annis iam illi (Christo) in seruio, nec ulla adhuc me iniuria adficit: quomodo itaque possem θλασθησαι τὸν βασιλέα μου, contumeliose loqui de Rege meo, qui me seruauit?* Eusebius hist. Eccl. IV, 15. Sed votum Paulinum non solum usui verborum ac naturae anathematis conuenienter, prouti explicauimus, explicari potest, sed & 3) omnino debet. Siquidem ultra mortem corporis nihil quicquam neque Spiritualis neque aeternae mortis admittit

(*) De Achaniis aeterna salute desperat Eduardus Bernardus, qui ad Iosephi Antiquit. libr. V, c. I, p. 334. ita interpretatur haec Iosuae verba c. VII, 25. *וַיְהִי יוֹם הַזֶּה Temet bodieque (non in seculo futuro, aiunt lati pectoris theologi in Massicta Sanhedrin c. VI, §. 2. Geminisque amhabus eiusdem) deturbabit Deos, o turbator rei hebraeae.* Bernardo illi opponere etiam possumus Christophorum Starckium in Synopsi Bibliothecae Exegeticae in V. T. ad Ios. VII, 19. Sed Bernardi inuidiosa argumentatio per LATVM PECTVS, non meretur nomen solidae probationis.

mittit analogia principiorum, a viris theopneustis atque ab ipso Paulo alibi declaratorum. Ex quibus principiis ille, qui pro salute aliorum mortem corporis subiit, censendus eum demonstrasse *amorem*, qui s v M M v s est, qui tanquam summus laudatur, commendatur, imperatur. Ioh. XV, 13. X, 13. I Ioh. III, 16. Rom. V, 7. 8. 'Talis martyrii, vel amoris vsque ad corporis mortem, plura in historia sacra habemus exempla. Habemus in M ose pro populo vniuerso caput suum deuouente Exod. XX X VII, 32. & in Dauide pro Absalone 2 Sam. XVIII, 33. & pro toto populo contra Goliathum 1 Sam. XVII, 32. atque pro populo peste adflicto. 1 Chron. XXI, 17. 2 Sam. XXIV, 17. Habemus in Stephano Act. VIII, 59. 60. in Petro Ioh. XXI, 17. 18. in Paulo Act. XX, 23. 24. XXI, 13. 2 Timoth. IV, 6. Philipp. II, 17. in Aquila & Priscilla. Rom. XVI, 4. atque in martyribus primitiuae ecclesiae, de quibus Apoc. XII, 11. Secundum haec principia si anathematis sui calculum dicit Paulus, haud absurde ratiocinatur. En calculum: 1) Paulus gloriam Dei promouet, siue per attributorum diuinorum manifestationem atque illustrationem Iudeos quamplurimos felicissimos reddit. 2) Paulus mortem, naturaliter alias sustinendam, paucis annis ante non naturaliter immissam, lubenti animo accipit. 3) & profestinata illa morte religiose infami Paulus sibi accipit vitam aeternam cum maiori gloria coniunctam. Qua ratione si Paulus vellat, quae nostra sententia est, deuouere se morti corporis cruentae sacerrimaeque, subeundae, si annuat Christus cuius erat discipulus atque apostolus, nihil comitteret absurditatis. At enim vero quanta esset Paulini capit is absurditas, si vitae etiam aeternae

C

iactu-

Wolfii Ob-
iectiones.

iacturam infinitasque cruciatuum in inferno perpetio-
nes fibimetipse voveret. Sed tamen cum remedi-
um, absorbens huius sententiae absurditatem, inuenis-
se putet Cel. Wolfius in Curis ad Rom. IX, 3. p. 173.
audiamus eum ita argumentantem: *Fateor, me in hoc
voto (de exclusione ab aeterna salute explicato) duri-
aut indigni nihil videre, si cum temperamento: si fas
esset, aut: si rebus salutique Iudeorum sic consuli posset,
accipiatur. Quid, quaequo, durius dici poterat eo, a)
quod sanctissimus servator noster Matth. XXIV, 24.
ariebat, tantam futuram esse falsorum doctorum vim
efficaciam, ut ipsi quoque electi illorum fraudibus pate-
rent. Nonne autem durum illud omne absorbetur ad-
ditamento, ei doxatō, si fieri posset. Hoc ipsum aut si-
mile illi, cum b. l. non sit expressum, sine temeritatis
suspitione subintelligi ab eo potest, qui vel argumentum
voti ipsius respiciat, vel meminerit, b) Paulum, amoris,
quo Galatae in ipsum ferebantur, magnitudinem signi-
ficaturum, eadem loquendi ratione uti. Μαρτυρῶ γὰρ
ὑμῖν, inquit, ὅτι, εἰ δούλωτον, τὸς δΦθαλμὸς ὅμῶν ἐξεύξαν-
τες ἀν ἰδώντες μοι Galat. IV, 15. Nonne c) durum vi-
deri potest, eundem Apostolum Gal. I, 8. scribere, si
vel Angelus ex coelo aliud praedicauerit euangelium,
illum pro anathemate esse habendum. *Quis vero non
intelligit, hanc phrasin, a re quae fieri non potest, pe-
titam, ad exaggerandam rei, quae ab hominibus siebat,
fieri in posterum poterat, indignitatem adhiberi?* Et
p. 168: d) affectus amantium cum inardescit, proce-
dit etiam ad impossibilia. -- Tale votum etiam illud
Davidis omnino fuit, qui volebat, se mortuum esse pro
filio Absalom, iam trucidato. Tale etiam Mosis, cu-
pien-*

pienis, se deleri ex libro vitae, siue id de aeternae siue
de praesentis vitae dispendio acceperis &c. Sed Resp. Responso.
argumenta illa, pro temperamento absurdum absor-
bente allata, rem non conficiunt. Nam a) Math.
XXIV, 24. *Pseudo-Christi & Pseudo-prophetae dicun-
tur esse edituri magna miracula ac prodigia, ita ut et
iam electos, ei duvarōv, si fieri posset, decipient.* Hic
Christus, fateor, loquitur, praedicit, refert aliquod ab-
surdum, scilicet actionem falsorum doctorum absurdam,
sed tamen eo ipso non loquitur absurde, siue ipsa Christi
relatio non est absurda. Omnino absurdum erat
Pseudo-Christorum & Pseudo-Prophetarum institu-
tum, ad impossibile quid, h. e. ad electos quoque fal-
lendos, comparatum, utpote quod plane non fieri pot-
erat. Ergo Christus additamento: *ei duvarōv, absurdum
conatum illorum impostorum haud absorbet, sed
potius indicat, atque exaggerat.* Ergo neque a di-
ctione Christi, in qua nihil absurdii absorbetur, colli-
gere licet ad dictiōnē Pauli, in qua, fatente ipso
Wolffio, inest aliqua absurditas; neque ab absurdā a-
ctione Pseudochristorum & Pseudoprophetarum col-
ligere licet ad actionem Pauli, veri apostoli, non im-
postoris. Et b) ad Galatas quod attinet, *illi oculos suos effodiendos sane dedissent Paulo, ei duvarōv, si tunc per rerum circumstantias fieri potuisset.* Gal. IV, 15. Hic
conuenio cum Cel. Wolffio in eo, quod illud duvarōv acci-
piendum sit theologicē siue moraliter secundum Glas-
si Grammat. sacr. cap. de Verbo can. XII, non physice.
Namque effossio oculorum Galatis erat physice
duvarōv. Sed alicuius absurditatis, verbis Paulini attribu-
endae, ac postea curandae, necessitatē video nullam.

C 2

Quip-

Quippe cum casus licitus existere possit, in quo quispiam oculos sibi suos sinit atque offert effodiendos. Si licet maius, h. e. mori pro altero, licet etiam minus, h. e. oculos suos finere atque offerre effodiendos. Hoc cogitauerint Iabesitae, qui, si fieret casus per summam necessitatem licitus, oculos suos Ammonitis offerre voluerunt effodiendos 1 Sam. XI, Conf. Balduini Casus Conscientiae libr. IV, c. I, casu IX, & X, p. 876. seqq. Cum igitur nulla hic adsit absurditas, nullo opus est remedio absorbente absurditatem. Ut iam nihil commemorem de discriminе longe maximo, quod intercedit inter effosionem oculorum atque inter anathema in sensu Wolfiano acceptum. Deinde c) neque ex loco Galat. I, 8, vbi Paulus scribit: *etiam si nos aut angelus de coelo aliud praedicauerit euangelium, anathema sit*, conficitur id, quod exinde, quasi conficiatur, in conclusione infertur. Namque angelus in Paradiso olim falsum praedicauit euangelium. Neque abhunc casum, sit venia verbo, dabilem. Neque absolute impossibile erat, Paulum fratresque cum eo runc existentes Gal. I, 2, aliosque quamuis praestantissimos doctores, prophetas, apostolosque, e. g. Iudam, Bileamum, labi in euangelii corruptelas. Sed censeant de possibilitatibus his vel impossibilitatibus eruditи, quicquid velint, mihi hic satis est, nullam in verbis Paulinis inesse absurditatem. Paulus conditionem ponit euentus futuri, atque ita, quid in omnem, etiam pericolosissimum, euentum, suis Galatis credendum sit, haud absurde docet. Ecquid, quaeſo, absurdi in hac sententia est: Vos Galatae eos omnes, qui euangelium corrupturi sint, imo etiam nos vel angelum, si eueniat ut euangelum.

angelium deprauemus, aeternis flammis dignissimos arbitrari debetis. Paulus hic tantummodo conditionem ponit euentus futuri, sed euentum hunc non approbat, non optat, non vouet; neque indicat, se inclinare, se primum promptumque esse ad talem euentum optandum. Quapropter longe dispar ratio est huius ad Galatas exempli, atque illius ad Romanos, ubi Paulus ex sententia Wolfii dicit: lubentissime vellem, inclino, pronus promptusque sum ad optandum, ut aeternis flammis vrar, atque non finiendis cruciatibus excrucier. Non sunt facienda mala, ut inde eueniant bona, Rom. III, 8. Possunt tamen *poni* ac *figi* mala, ut ita doceantur bona. Peccata non possunt (licite) voveri atque, ut ita loquar, practicari, possunt tamen nominari. Pergimus iam ad *affectum amantium*, qui, ut d) argumentatur Wolfius, *cum inardescit, procedit etiam ad impossibilia*. Imo procedit etiam, ad peccata. Amantes saepe sunt amentes, ac stulti. Ergone Paulus hic in actu *bonorum* constitutus, ex capite de stultitia atque amentia est explicandus, ac defendendus? At plures commentatores ad illud Brocardicum siue Burchardicum, tanquam ad solarium ac munimentum quoddam exegeticum, confugerunt. Scio, atque, si de facto loquatur, concedo; sin de iure, rationes desidero. Dauides enim ac Moses hic nihil quicquam iuuant. Namque illi optarunt aut mortem corporis aut exitium aeternum. Si mortem corporis optarunt, quod mihi multisque aliis verosimile videtur, tum eorum vota ultra summum amoris gradum, a nobis ante declaratum, non adscenderunt, ac proinde Wolfio, non mihi, aduersantur. Sin mortem aeternam exitiumque infinitum sibi optarunt, tum neque eo-

rum extra theopneustiae statum conceptis votis exemplisque standum, neque inde ad Paulum in theopneustiae statu scribentem colligendum esset. Falsum enim est, quod formula illa: *si liceret, si fas esset*, sit remedium absurditatem semper absorbens, ac voti peccaminositatem tollens. Audi, dicam, quod equidem dicere perhorresco: Ego ad amorem erga Titium ingentem meum explicandum, vellem optare (*si liceret*) ut ego sim, aut siam quarta persona diuinitatis, ut Titium salute aeterna beare possem. Deinde, ne a suffragiis virorum doctorum videar derelictus, commemorandum est, a Iacobo Elshero in Obseruat. p. 44. ac D. Salomone Deylingio interpretationem voti Paulini de exclusione a vita aeterna indignitatis temeritatisque iam fuisse insimulatam. Audiamus illum summe reu. Praesulem Lipsiensem, in Obseruat. sacr. part. 2. p. 385. ita edifferentem: *Miki, ne quid dissimulem, votum Paullinum, in hunc sensum (de exclusione a vita aeterna) explicatum, durum semper ac temerarium, & ab Apostoli sanctitate & animi moderatione, qua in epistolis vtitur, alienum, & tanta gentium doctoris sapientia indignum visum est.* Denique, 4) ne nouitatis accusetur nostra anathematis acceptio, iam aetate Ioannis Chrysostomi quidam existimarunt, *τετράς προσκαίρια τέττα λίγεν αὐτὸν, de temporaria morte a Paulo haec fuisse dicta.* Quos quidem Ioannes iste non nominatos, tanquam homines coecos ac vermes in stercore latitantes, perstringit homil. XVI. in ep. ad Rom. IX, p. 186. Hic mihi, quaerenti istos Chrysostomi homines coecos ac vermiculos, vnu occurrit Hieronymus Stridonensis, qui commentar. in Zchar. XIV. Opp. T. VI. p. 341. edit. Basil. a. 1537. ita scri-

scribit: de turre Hananneel peruenimus ad regis torcularia, pro quibus & tres Psalmi titulum habent, & Dominus dicit in Esaiā: torcular calcaui solus, ut excubaret in illis nostra vindemia & exprimamus botros, & rubentia in Christi sanguine musta calcemus, ut bibamus vīnum quod laetificat cor hominis. Et sponsa desiderat, sponsi sodalibus loquens: inducite me in celum vīni, ponite super me charitatem. Si nos istiusmodi inebriarint torcularia, habitabimus in Hierusalem, in qua anathema ultra non erit, maledictio videlicet & abominatio. Vnde dicit & apostolus: si quis non amat dominum, sit anathema. Et in alio loco: nemo in spiritu Dei loquens, dicit anathema Iesu. Et pro fratrum salute anathema esse cupit, imitari volens Dominum suum, qui & ipse cum non esset maledictio, pro nobis factus est maledictio. Ablato autem omni anathemate, habitabit Hierusalem secura atque confidens. Idem eadem sed dilucidius in epistola ad Algasiam quaest. 9. opp. Tom. 3. p. 168. prescribit, quae ex parte hoc transcribemus: Optat, anathema esse a Christo & perire, ut alii salvi fiant. Sed, si consideremus Moysi vocem, rogantis Deum pro populo Iudeorum atque dicentis: si dimittis eis peccatum suum, dimitte; si autem non vis, dele me de libro tuo quem scripsisti, perspiciemus eundem & Moysi & Pauli erga creditum sibi gregem affectum. Pastor enim bonus, ponit animam suam pro omnibus. Mercenarius autem cum viderit lupum venientem, fugit, quia non sunt eius oves. Et hoc ipsum est dicere, optabam anathema esse a Christo, & dele me de libro tuo quem scripsisti. Qui enim delentur de libro uiuentium & cum iustis non scribuntur, anathema fiunt a Domino. Simulque cer-

ne

ne Apostolum, quantae charitatis in Christum sit: vt pro illo cupiat mori & solus perire, dummodo omne in illum credat hominum genus. Perire autem, non in perpetuum sed impraesentiarum. Qui enim perdiderit animam suam pro Christo, salutem eam facit. Vnde & de quadragesimo tertio Psalmus assumit exemplum: quoniam propter te mortificamur tota die, reputati sumus ut oves occisionis. Vult ergo apostolus perire in carne, ut alii saluentur in spiritu, suum sanguinem fundere, ut multorum animae conseruentur. Quod autem anathema interdum occisionem sonet, multis veteris instrumenti testimoniosis probari potest. - Recentiores, idem sentientes, recenset Wolfius Curis philolog. ad Rom. p. 168. quibus associari possunt Zegerus in Criticis Angl. h. l. Andr. Riuetus ad Exod. XXXIII, Ioh. Michael Dilherrus Dissertatt. Academ T. I, p. 736. sq. Cundisius disp. IX, in ep. ad Rom. thes. IV. M. Christoph. Sande in disp. de anathemate Pauli votivo, alii.

VI

Etiam ANNO 1715] Particula από, quae teste Wolfio in Curis h. l. saepe multumque vexata est, inter alia quoque notat *caussam efficientem, ordinantem, iubentem*. Quam particulae vim potestatemque cum silentio transferit in libello de particulis Graecae linguae Matthaeus Deuarius, Vir de partibus his minutis alioqui meritissimus, (*) cum Hebraismis annume- rauet-

(*) Neque omnibus suffecerint, quae Franciscus Vigerus in libello de praecipuis graecae dictioris idiotisnis p. 463. edit. Argentorat. a. 1708. in 8. tradit: APO, licet rarius, aliquando tamen etiam in prosa de rebus viuentibus usurpat. Clemens Alexandr. Strom. 2.

rauerit Gatakerus, dissert. de noui Instrumenti stilo c. 42, Sect. II. p. 150. Opp. Crit., cum denique plane negauerit ac repudiauerit Ioh. Iesu in Ferculo literario p. 17; hinc eam non obiter sed fuse curateque vindicandam esse censeo, idque efficiam exemplis, **I EX N. TESTAMENTO PETITIS**, quae iterum in duas classes disponam

a) ΑΠΟ in ipsa Φεστεις: EINAI ΑΠΟ ΤΙΝΟΣ. Rom. XIII, 1. *εγενεται ει μη ΑΠΟ θεος.* Cum sequantur verba: *ει δε γεγονει ξεσται, ΥΠΟ της θεος πεταγμωνα εισην*, videmus, **EINAI ΑΠΟ της θεος** idem esse, quod **EINAI ΥΠΟ της θεος**.

Huc pertinet elliptica illa formula: *gratia vobis et pax ΑΠΟ θεος*, Rom. I, 7. 1 Cor. III, 3. 2 Cor. I, 2. Galat. I, 3. Ephes. I, 2. Philipp. I, 2. Coloss. I, 2. 1 Thessal. I, 1. 2 Thessal. I, 2. 1 Timoth. I, 2. 2 Timoth. I, 2. Tit. I, 4. Philem. III, Apoc. I, 4. 5. *Gratia vobis aut pax a Deo sc. sit*, aut, si mauis supple-re ex 1 Petr. I, 2. 2 Petr. I, 2. Iud. 2, *πληθυνθειη*. Ita Cicero, in Foro Romano sub voce *a* adductus: *a meis ciuibus ea res mihi fuit honori, et Liuius VI, c. 5: criminabantur, multo eum infestiorem agrum a nobilitate esse, quam a Volscis fuerit.* Adde Tursellin. de particulis latinae orationis p. 4. & 14. edit. Schwartz.

b) ΑΠΟ constructum cum aliis

D

ver-

προσ ο μακαρισμος εγινετο επι της εκλεγμίνας ΑΠΟ της θεος, id est, hic beati praedicantur, qui a Deo electi sunt. Tuncque ΑΠΟ sumuntur pro υπό, quod infrequens non est, cum opud alios, tum maxime Pausaniam. Unde in Corinthiacis. Καj τάντας (παρθένες) φασί ΑΠΟ τών ἀντιστοιχῶν καταλευθῆναι, id est, illas etiam (virgines) ab aduersae factionis hominibus lapidatas fuisse aint. Idem in Mef-senico, ή καj ΑΠΟ τών σκλευομένων ἔτι ιμπνιστω διεφθείροτο, id est, aut etiam ab iis, qui spoliati cum effent, adhuc tamen spirabant, occidebantur.

verbis: Matth. XI, 19. & Luc. VII, 35. ἐδικαιώθη ἡ σοφία ΑΠΟ τῶν τεντων σιτῆς. *Sapientia illa*, siue sapiens illud consilium, quod Deus per Ioannem baptistam omnibus Israelitis de emendatione mentis dabant, *tanquam iustum agnatum est a vulgo Israelitico & publicanis*, hac in parte *sapienibus*. Namque, teste Luca VII, 29. 30. omnis populus & publicani ἐδικαιώσαν τὸν Θεόν *iustum agnouerunt Deum*, dum Iohanneam curationem sapienter admittebant; ast Pharisei & legisperiti (qui sapere sibi videbantur) consilium illud, ad ipsos pertinens, spreuerunt, non admittentes Iohanneum poenitentiae baptismum, insipienter. Matth. XII, 38 *Magister, volumus videre σημεῖον ΑΠΟ σὲ*, sc. ὃν, διδόμενον, γρυόμενον, factum abs te, quod abs te profiscatur. Matth. XVI, 21. *Christum Hierosolymis oportet πολλὰ παθέν ΑΠΟ πεσειτέων*, multum vexari a Senioribus, h. e. Seniores Christum multum vexabunt. Marc. VIII, 31. & Luc. IX, 22. *Oportet filium hominis πολλὰ παθέν, καὶ αποδοκιμασθῆναι ΑΠΟ τῶν πεσειτέων*. Luc. XVI, 18. *omnis, ὁ απολελυμένης ΑΠΟ αὐδρὸς γυμνὸν, μοιχεύει*. Luc. XVII, 25. *oportet filium hominis αποδοκιμασθῆναι ΑΠΟ τῆς γενεᾶς ταύτης*. Act. II, 22. *vos interemistis Christum*, ἀνδρα ΑΠΟ τῷ Θεῷ αποδεδηγυάσου εἰς ὑμᾶς δυναμεστὶ καὶ τίσασι καὶ σημεῖοις. Act. X, 17. & 21. ὁ ἀνδρός, ὁ αποσταλμένος ΑΠΟ τῷ Κορινθίῳ, h. e. *quos miserat Cornelius* v. 5. 8. 32. & 33. 1 Cor. I, 30. *Christus Iesuς γενέθη ἦν σοφία ΑΠΟ Θεοῦ*. 1 Cor. IV, 5. *tunc (in aduentu Christi) ὁ ἔπαινος γενήσεται εἰς αἷς οἱ ΑΠΟ τῷ Θεῷ* 2 Cor. III, 18. *μεταμορφώσεται ΑΠΟ κυρία πνεύματος*. 2 Cor. VII, 13. *Titus gaudebat, ὅτι ἀναπίπαυται το πνεύμα αὐτῷ ΑΠΟ των ων ψυχών*. h. e. 1 Cor. XVI, 18 *aestiuē: illi ανίπαυσαν τὸ ἄμδον πνεύμα. conf. Phil.*

lem. 7. & 20. Galat. I, 1. *Paulus apostolus ἐπ' ἀνθρώπων.* Hebr. XI, 12. *ideo etiam ΑΦ' ἐνεστήσαν innumerabiles.* Iac. I, 13. *nemo tentatus dicat, ὅτι ΑΠΟ τῆς θεοφάγομα.* Deus enim πειράζει ὁδένα. Sed homo tentatur v. 14. *ὑπὸ τῆς ἴδιας ἐπιθυμίας.* Iac. V, 4. *ecce, ὁ μισθὸς operariorum, ὁ ἀποτελημένος ΑΦ' υἱῶν, clamat.* Apoc. XII, 6. *Ὥμηλια illa fugit in desertum locum, ubi habet ὄπον ἡτοιμασμένον ΑΠΟ τῆς θεοφάγης.* Pergamus II ad exempla, EX SCRIPTORIBVS PROFANIS petita. Herodotus III. c. 142. p. 136. edit. Paris. a. 1570. per Henr. Stephanum: Polycrates a Samiis petiit: *ἰερωσύνην δὲ πρὸς τοῖς σιαρζασα, αὐτῷ τὸ εἷμα, καὶ τοῖσι ΑΙΓ εμός αὺς γινομένους, sacerdotium vero praeterea eligo, tum nihil meipso, tum illis, qui a me generabuntur.* Lysias Orat. XII, c. 21. extr. ὃ δὲ αἰδεῖς ΑΠΟ τέττας ὁδὲ ἕτερον τεθνήσασιν. Boni autem illi viri nihilominus ab hoc (Agorato) occisi sunt. Dubibus his exemplis, a Cel. Schwarzio in commentariis graecae linguae p. 150. inter alia productis, sequentia apponere iuuat: Hippocrates de natura pueri c. 61: *Auis ex ovi luteo hunc in modum nascitur. Matre insidente ouum concalescit, καὶ τὸ ἐν τῷ ὠῷ ἐνεὸν, ΑΠΟ τῆς μητρὸς κινέσται, ὅτι quod in eo continetur, a matre communouetur.* Iosephus antiq. XVIII, I. §. 4: *πράττεται δὲ ΑΠΟ αὐτῶν ὁδὲν, ὡς εἰπεῖν, illi Sadducaeī nihil fere agunt.* Antiq. XX, c. 8. §. 10. p. 974. edit. Hauerc. *πίμπει δὲ Φῆσος δύναμιν - - ἵππι τὰς απατηθέντας ΑΠΟ τοις αἰθρώπις γόνος.* Festus autem misit copias - - contra eos, qui decepti erant ab homine quodam præstigiatore Dionysius Halicarn. Rom. Antiqu. libro IX, lin. 5. p. 569. edit. Frf. 1586: *συνθήματος αἰρθέντος ΑΠΟ τῆς σεατηγῆς, signo ab imperatore dato.* Idem libr.

IV, p. 213. lin. 43: placuitque illis, cogere Tullium regem ad insignia imperii deponenda, επειδὰν πρώτον εἰς τὸ συνίδεον ΑΠΟ τὰ Τυλλία αὐτοχθῶσιν, cum primum a Tullio in senatum congregati fuerint. Isocrates parneyr. p. 104. edit. opp. Basil. 1602. in 8: μὴ δὲ τοῖς μὲν ΑΠ' ἐκέντα γενουμένοις διδόναι τὴν βασιλείαν. neque (debet) illis ab ipso (Hercule) natis dare regnum. Id. orat. de pace p. 338. *Is maxime laudandus est, qui optime potest depingere τάξις πυνηάς τῶν πράξεων καὶ τὰς συμφρεάς, τὰς ΑΠ' αὐτῶν γεγονότας, tum malas aetiones, tum calamitatis, quae ab illis nascuntur.* Id. orat. de pace p. 364: δει ήμας - μισησμ μὲν ἀπάτας τὰς τυραννικὰς αἰχάκας καὶ τὰς δυνατέας, ἀναλογιζομένες τὰς συμφρεάς, τὰς ΑΠ' αὐτῶν γενηπομένας. *Nulla nobis tyranica imperia Θ potestates sunt affectandae, consideratis calamitatibus, ab illis orituris.* Id. in Euagora p. 372: ὄνταλογεῖται τὰς ΑΠΟ διός, ὑγενεστάτας τῶν ημίθιων εἰναι. In confessō est, oriundos a Ioue, esse semideorum nobilissimos. Id. in Euagora p. 374: κατα μὲν αἰχάκας, οἱ γεγονοτες ΑΠΟ Τεύκτης, τὴν βασιλείαν ἔχον. *Initio regnum tenuerunt, qui nati erant ex Teucro.* Id. in Euagora p. 394: ὃς τοιότων μὲν προγόνων ἔτυχεν, ὃντων ὅδεις ἄλλος, πλὴν, εἰ τις ΑΠΟ τῶν αὐτῶν ἐκείνω γέγονε. *Qui tales maiores habuit, quales nemo aliis, nisi ex eadem familia oriundos.* Id. in Euagora p. 396: ήγέμενος, καὶ σοὶ καὶ τοῖς σοῖς παισὶ καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς ΑΠ' Ευαγόρᾳ γεγονότι, πολὺ καλλίτον ὁν γενέσθαι τάυτην τὴν παράκλησιν, quia existimo, Θ tibi Θ liberis tuis Θ ceteris ab Euagora oriundis, longe pulcherrimam fore hanc adhortationem. Id. in Euagora p. 398. χεὶς σύγανακτεν, εἰ τοιότος μὲν αὐτὸς ὡν τὴν Φύσιν, γεγονὼς δὲ τὸ μὲν παλαιὸν ΑΠΟ διός, τὸ δὲ ὑπογυιώτατον εἰς ἀνδρὸς τοιότην

τὴν οἰρετὴν, εἰ μὴ πολὺ διόπεις καὶ τῶν ἀλλων. Te decet indignari, si ipse ὁ tali praeditus ingenio, & si prima origo repetatur, a Ioue, sin ad proxima veniamus, ex viro virtute praestantissimo natus, non multum antecellas ceteris. Nunc animum maiori probabilitate percutiet vir graece scientissimus Balthasar Stolbergius, quando cap. III, §. 6. disput. de sapientia a liberis suis διαισθεῖσα ad Matth. XI, 19. scribit: ΑΠΟ saepe quidem distantiam notat, absentiam, remotionem vel separationem. Sunt tamen apud Pausaniam multa loca, in quibus ista praepositio construitur cum verbis passiuis in significacione causae efficientis. Neque mutandum quicquam cum doctissimo Sylburgio, qui obseruat, rectius scribi ωπο. Apud alios alia exempla visuntur plurima, Herodotum, Thucydidem, Xenophontem, Isocratem, Aeschinem, Aristotelem, alios etiam iuniores Lucianum, Arrianum, & ecclesiae doctores, Clementem Alexandr. Andream Caesariensem, de quibus id ipsum annotauit Sylburgius in Indicibus. Addi potest Portus in Not. ad Xenoph. Memini hic Io. Millium adferre codices MStos, qui in locum ΑΠΟ (χριστὸς) substictrum habent ΥΠΟ (χριστοῦ). In Curcellae quoque editione N. T. Aetis apostol. subiecta extat p. 533. appendix, in qua continentur variantes N. T. lectiones, omissoe, una cum reliquis conjecturis, magnam partem Henrici Stephani, praefixis editioni ipsius in 60. a. 1576. ΑΠΟ pro ΥΠΟ in locis aliquot N. T. posita videtur. Cuius H. Stephani conjecturae exemplum esse potest Rom. IX, 3. vbi pro ΑΠΟ χριστὸς quaedam exemplaria legunt ωπο χριστοῦ. Haud faciem operaे pretium, si in auctoritatem lectionis inquire.

quirerem, cum, siue ὅποι siue ἀπο legas, eundem sensum capias. Neque tamen illa ratio cogit, in gratiam paucorum codicum solemnem relinquere, ac nouam raramque adsciscere, lectionem, quae ex ignorantia iustae significationis τῷ ΑΠΟ (vti apud Iensium, Sylburgium &c. videre licet) vel ex librariorum, τῷ ν & α haud discernentium, incuria exorta videatur. Sed, ut omnia nunc paucis concludamus, satis certum est, si Paulum latine reddimus: *votum nuncuparem, vt egomet ipse anathema fierem & effem, siue vt anathematizarer, sed tanquam A CHRISTO SIC VOLENTE, IVBENTE ATQVE ORDINANTE*, nos nihil committere, quod frequentato particulae usui aduersetur. Iam consequitur, cum naturali aequitati repugnet, aliorum sermonem, ubi benignior & sanior interpretatio locum habet, ita interpretari, vt videatur esse absurdus, consequitur, inquam, ut ostendamus, ex nostra interpretatione Paulum in arguento voti §. III, & V, legibus de faciundis votis conuenienter fuisse locutum. **LEX VNA** ratione vounatis praecipit, vt nemini, qui sui non sit arbitrii ac iuris, validum liceat concipere votum, nisi cum consensu ac permisso sui principalis, superioris, siue Domini. Num XXX, 3. 4. sqq. Iam vero Paulus Christianus atque Apostolus, erat in seruitio Christi. Rom. I, 1. & XIV, 7. 9. 2 Cor. V, 15. Gal. II, 20. **LEX ALTERA** ratione ipsius voti praecipit, vt eius obiectum sit res licita Deoque grata. Atqui tantum abest, vt Christus apostolis suis approbationem suam vñquam declarauerit, si anathematis voto pro aliis anathematizandis se obligaturi essent, vt potius praeceptum

ptum in contrarium dederit expressum, fugite, inquiens, ex ciuitate, quae persequetur vos, in aliam ciuitatem Matth. X, 23. cui quoque praecepto apostoli, non ad vnam alteramut vrbem adstricti sed in omnem terrarum orbem allegati, semper obtemperarunt. Fugit ex custodia Petrus Act. XII, fugit ipse quoque Paulus, cum Damasci ad mortem quaereretur Act. IX, 25. & 2 Cor. XI, 33. Sic & Pharisaicum se interdum, interdum ciuem Romanum professus est, non mortem reformidans, sed legitime decertans. Sic Caesarem appellauit, cum Iudeorum insidias praesensisset, sororisque filium misit ad Tribunum & insidias patefecit, non vitam praesentem expetens, sed legibus diuinis obtemperans. Neque enim vult dominus, ut praecepites nos ipsos agamus, atque hoc nos ipse non verbis modo sed factis etiam docuit. Saepius enim cruentas Iudeorum manus declinavit. --- Hoc philosophiae genus in veteri etiam lege reperiemus. Nam & Moses fugit Exod. II, 12. & Elias fugit i Reg. XIX, Conf. Theodorei epistola 3. p. 899. seq. opp. T. 3. edit. Parif. 1642. Itaque, sicuti Christus ad amorem suum erga peccatores summum demonstrandum, ipsam mortem subiit, non αφ' ΕΑΥΤΟΥ sed από ΤΟΥ ΘΕΟΥ. Nam filius hominis nihil quicquam facere potuit αφ' εαυτού Ioh. V, 19. & 20. VIII, 28. & XIV, 10. sed omnia & fecit & perpeccus est από τού θεού Act. II, v. 22. 23. IV, 28. quem etiam Deus dicitur fecisse peccatum 2 Cor. V, 21.; ita Paulus quoque, ad amorem suum erga populares suos summum demonstrandum, vel ipsam mortem vouere ac subire cupiuit, sed vouere ac subire non potuit αφ' εαυτού sed

sed ΑΠΟ ΤΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ h. e. si Christi voluntas ita ferret. En conditionem, in ἡγεμονίᾳ supra §. III, p. 5. requisitam & flagitatam.

VII.

Aναθεμα εἴναι υπέρ των αδελφών μοι, των συγγενών μοι κατά σαρκα] h. e. *pro Iudeis*, quos Paulus nominat I. FRATRES SVOS, indicans, eos sibi esse *multo carissimos*. Nam cum Iudei a stirpe patriarcharum Abrahami, Isaaci & Iacobi cognitionem ducerent, poterat quidem eos fratres suos appellare Paulus, utpote ab eodem Abrahamo antiquo genere natus Rom. XI, 1.; sed idem eodem aliis nominibus, uti circumcisionis, Iudeorum, Hebraeorum &c. & quidem breuius, magisque plane nominare poterat, &, ut videtur, fere debebat, praesertim cum Iudei maxima ex parte Christiano nomini essent infensi adeoque detestandi, haud amandi; nihilominus suauem fratrum appellationem selegit claro prolixissimi amoris erga gentiles suos indicio, quem adfectum, v. 1. 2. 4. 5. expressum, etiam hic testari suaserunt prudentiae leges, partim, ne ipse, de Iudeorum longe plurimorum reiectione expositurus, praejudicio odii priuati plane excoecatus, atque omnis omnino amoris oblitus videri posset, partim, ut hoc suo exemplo doceret, quid amoris erga Iudeos Christiani Romani, Iudeis parum fauentes Rom. XIV-XVI, spirare debeant. Eodem fratrum elogio amorem testati sunt Abrahamus Genes. XIII, 8. Iosephus Genes. XL, 4. 5. Abimelechus cum Sichemitis Iud. IX, 2. 3. Sed & ipse Paulus verborum

borum suorum interpres est, dum Iudaeos, quamvis euangelii ac Christianorum contemtores, dilectos tamen nominat respectu electionis ac maiorum suorum Rom. XI, 28. Deinde Paulus fratres suos nominat II. COGNATOS SECUNDVM CARNEM, ΤΩΝ ΣΥΓΓΕΝΩΝ ΜΟΤ KATA ΣΑΡΚΑ, ad discriminandos Iudeos a Christianis, Pauli quoque fratribus κατὰ πνεῦμα, si non κατὰ σάρκα; siquidem fratris vocabulum ambiguum est. vid. Dougtaeus in Analectis N. T. p. 149. & M. G. C. C. historia fratrum sportulantium, p. 15. sqq. alii. Sed, ut reliqua mittamus, cognitionis sive generationis duplex genus existit, unum κατὰ σάρκα, alterum κατὰ πνεῦμα, ergo addendum erat: KATA ΣΑΡΚΑ. Etenim naturales Abrahami filii non omnes sunt genuini, non omnes gerunt animos non degeneres. Isaacus aliquie, fide & sanctimonia ei similis, dicuntur & censentur generati Abrahamo κατὰ πνεῦμα. Ast Iacob eiique similes Iudei generati Abrahami sunt tantum modo KATA ΣΑΡΚΑ, Gal. IV, 28.

VIII.

Aναθεμα ἐναγ ΥΠΕΡ τῶν αἰδελφῶν) τὸ ΥΠΕΡ cum Genitio constructum 1) quidam latine reddunt: pro fratribus h. e. vice fratum. Hoc modo anathematis mortem a Iudeis refractariis subeundam, vicariam pro Iudeis illis subire cuperet Paulus. Alii 2) vertunt: pro fratribus, atque interpretantur: *pro commode*, sive *in commodum* fratum. Posset etiam 3) transferre: *SUPER fratribus, in causa, in materia, respectu fratum meorum, quod attinet ad fratres meos.* Quo sensu particula haec haud infrequens est

E

aque

aeque ac latinorum: *super*, ex graecorum ὑπὲ, iudicio Vossii in Etymologico lat. linguae sub voce: *supra* & Welleri in Grammatica Graeca p. 66. enatum. Cicero ad Atticum XIV, ep. 25. *simul cogites, quid nobis agendum sit SVPER legatione.* Idem XVI, ep. 6. *hac SVPER re scribam ad te Rhegio.* Virgil. Aeneid. I, v. 754. *multa SVPER Priamo rogitans, SVPER Hectore multa.* Idem Aeneid. IV, 233. *nec SVPER ipse (Aeneas) sua molitur laude laborem.* Plautus IV. Cistel. I. *quid nuncias SVPER anu.* Horat. Carminum libr. III, od. 8. *nitte ciuiles SVPER vrbe curas.* Cornel. Nepos in Pausania IV, *qui SVPER tali causa eodem missi erant.* Auctor ad Herennium lib. I, 23. *pater familias vti SVPER familia pecuniae sua legauerit, ita ius esto.* Sic Paulus ad Rom. X, 1: οὐ δίκαιος οὐ πρὸς τὸν Θεὸν ΤΙΤΕΡ τῷ Ἰσραὴλ ἵστω εἰς σωτηρίαν, *precatio mea ad Deum funditur PRO Israele*, non: vice Israelis, sed vel *in commodum Israelis*, vel *super Israele, in caussa populi Israelitici*, & quidem εἰς σωτηρίαν *in commodum eius spirituale*, Conf. Rom. IX, 27. XV, 9. 30. 2 Cor. I, 6. 8. 2 Thessál. II, v. 1. At enim vero, siue hoc, siue isto, siue illo modo Paulus sit accipiendus, quod pluribus verbis iam non excutiam, veritati tamen consentanea est sententia prima, saltim haec tenus, ut maiori Iudeorum parti tempore datae ad Romanos epistola, h. e. sub annum Christi 56. anathematis poena imminuerit. Cui rei fidem facio I) ex verbis Malachiae III, 19. 24. *ecce, aduenturus est dies more fornacis ardens, ὅτε erunt omnes praeuaricantes omnesque impie agentes stipula, eosque comburet dies illa ventura, dicit Iehoua, ita quidem, ut eis neque radicem relinquit neque ramum.* Ecce ego missurus sum aliquem Eliam

liam, vatem, antequam veniat Iehouae dies illa magna ac tremenda, ut parentum animos ad natos, & natorum animos ad parentes conuertat, ne ego veniam & percutiam hanc terram מִזְרָחָת anathemate, conuenienter Moysi, qui vrbes Israelitarum apostaticas anathemate percutiendas pronunciauit, igneque iussit exurendas. Deut. XIII. Quae Malachiae verba Ioannes Baptista ad eiusdem aetatis Iudeos ita applicat: iam securis prope radicem harum arborum iacet. Omnis igitur arbor, nou ferens fructum bonum, excinditur atque in ignem abiicitur. Evidem baptizo vos aqua ad poenitentiam. Sed Messias --- vos baptizabit --- igni. Scilicet --- stipulam comburet igne inextinguibili. Matth. III, 7-12. Illud quoque confirmari potest 2) auctoritate Christi, qui suae aetatis Iudeis πανολεθρίαν saepissime praedixit, Matth. XXIII, 31-39. XXIV, Luc. XXIII, 28-31. & alibi. Idem perspicuum est 3) ex verbis Petri Act. III, 23. ad suae aetatis Iudeos transferentis illud Mosis Deut. XVIII, 18. 19: omnis anima, quae non obtemperauerit prophetae illi a Deo excitando, ΕΞΟΛΟΘΡΕΤΩΗΣΕΤΑΙ ΕΚ ΤΟΥ ΛΑΟΥ, vbi ἀναθεματισμόν esse intelligendum patet non solum ex hac formula: ΕΞΟΛΟΘΡΕΤΩΗΣΕΤΑΙ ΕΚ ΤΟΥ ΛΑΟΥ, LXX. Interpretibus ad deuotionem illam sacrissimam indicandam solemnī, Deut. II, 34. III, 6. Ios. II, 10. &c. sed ex ipsa quoque materia legis Mosai-cae, irrogantis mortem contemtoribus legatorum Dei ac proinde diuinæ maiestatis reis, ergo religiose infamem. Denique 4) illud ipsum intelligi potest ex verbis Pauli, Rom. X, & XI, vbi Iudeos plures describit tanquam pereunte, Israelis filios degeneres, Abrahami semen sed non filios, impingentes in lapidem offensionis, in Messiam, absurdum Dei Zelum haben-

tes, populum malitiose resistentem & contradicentem, homines obduratos, habentes spiritum soporis, oculos non vi-dentes, auresque non audientes, quibus David ruinam exitium que praedixerit, &c. ut alia apostolorum testimonia iam pateferemus. Antequam opusculo imponamus finem, paucis etiam audiamus illos, qui, quae haec tenus disputauimus, ad-dubitabunt.

Obiectio 1)

Obiicent quidam, 1) Si Paulus pro Iudeis vel super Iudeis anathematizandis voluit fieri anathema, sequitur, eum fieri voluisse anathema verum & comple-tum. Id quod repugnaret §. V, p. 16. Resp. 1. Non-dum ostensum est, quod torus populus Iudaicus tunc in *completo anathematis reatu* fuerit. Is, fateor, in praecipi-tatio huius periculi, atque in confinio viciniaque anathematis fuit, vt pote qui baptizante Ioanne ira imminuerit, vt in illam ipsam Iudeorum generationem cadere debue-rit Matth. III, 7. 12. XXIII, 32. XXIV, 34. Totis populis anathematismum Deus non infligit nisi mensura peccatorum eorum completa. Genes. XV, 16. Matth. XXIII, 32. Ergo, cum a. Christi 70. Hierosolyma deleretur, cuncta Palaesti-na deuastaretur, ac Iudei vbique locorum perderentur, tum completus fuit, credo, Iudeorum anathematismus.

2. Negatur etiam consequentia. Neque enim sequitur, vt, si Titius promittat se velle perpeti pro *poena quadam* Meuii auerruncanda, idem ille Titius continuo censendus sit suscepisse *omnia mala*, quae Meuii poenam sint secutura. Finge Meuium ex Lapponia relegandum, sed pauperem, sed corpore animoque prae iuuenta aut senio instabilem atque infirmum, sed ad panem extra patriam honeste lu-crandum haud facile aptum, propterea quod artificiorum vel artium liberalium &c. rudis sit. Hunc, si relegatus fue-rit, Titius praeuidet ruiturum in vitia, ad furta, denique ad supplicia. Titius igitur, amore incredibili erga popularem suum Meuium conseruandum flagrans, si pro relegatione Meuii auerruncanda seipsum relegandum offerret, numne Titium consensisse putabis de suppliciis pro Meuiio sustinen-dis? aut num reliqua mala Titii relegationem comitabuntur?

Atqui

Atqui Titius diues est, multisque gaudet extra Lapponiam patronis, qui de eius innocentia animoque φιλαδέλφω convicti, hospitium aliaque omnia ei cumulatissime praebent. &c. Iam si applicatio: Paulus non continuo, si consentit de anathematismo pro Iudeis sustinendo, consensisse censendus erat de suct nendis etiam illis malis, quae ex diuerso ac vitiioso Iudeorum statu oriunda erant? Imo Paulus in anathematismo siue in innocentiae suae statu moreretur mortem unam, aeterna felicitate florens ac beatus, quamquam isti iudei in suo sed diuerso anathematis statu duas mortes, temporariam & cum ea simul aeternam, morerentur. *Obiicient quidam 2) Si Paulus mortem subire pro Iudeis & Obiectio fieri anathema voluit, iniurius in meritum Chr sti fuisse. &c. Resp. 2)* negatur suppositum, quod est eiusmodi: qui mortem pati vult pro altero, ille MERITORIAM pro alio mortem necessario vult pati. Atqui martyres etiam patiuntur pro aliis, num ergo mala patiuntur cum iniuria meritorum Christi? Sunt sane martyrum amplissimi uberrimique fructus, in eisque Christianae demonstratio religionis hominumque conuersio, quae non solum per conciones sed per actiones quoque & passiones Christianorum promouetur. *1 Perr. II, 12. II, 1. 2. vid. historia eccl. priorum seculorum & Humfredus Ditton von der Wahrheit der Christl. Religion, p. 339. seqq.* Sed magna tamen differentia inter passionem Christi & inter passiones sanctorum intercedit. Bene Vitringa in Anacr. Apocalyp. p. 271. qui conferatur.

IX.

Squitur iam, ut nostri commatis cum praecedente commate NEXVM, in ΓΑΡ indicatum, intueamur. Illud γάρ mihi quidem hic significare videtur non rationem rei, quasi άναγκαιός Paulinus consummatus, qui non extitit unquam §. IV., ratio sit magni in pectore eius moeroris, continuaeque anxiatatis, sed significare videtur rationem dicti. Scilicet d'Etum a Paulo fuerat, se in magna moestitia continuoque argore versari. Quid ita? explicetur hoc fusius. *Etenim, ut illud, de moestitia atque argore d'Etum, luculentissimo modo declarem, vel ipsam mortem eamque cruentam religioseque infamem pro gentilibus meis, ex statu ipsorum miserrimo liberandis, perpeti vellem. Hoc modo Pau-*

X 3580781

Paulum explicare licet per usum particulae γαρ. Nam tum γαρ, tum coniunctiones causales reliquae, rationem saepissime reddunt non rei, cur aliquid fiat factumue sit, sed rationem exegeticam sive declaratiuam dicti, ex qua intelligatur, cur hoc illudue dictum fuit. Ita 1 Cor. XV, 8. 9. nouissime omnium etiam nibi Paulo tanquam abortiuo apparuit Christus. Εγω γαρ ειμι ο ελαχιστος των αποστολων, ego enim postremus sive minimus sum omnium apostolorum. Ibi ratio redditur non rei, cur Paulo apparuerit Christus. Qualis enim haec ratio est, mihi apparuit Christus. Cur? quia ego abortiuus sum. Quasi respectu abortus apparere soleat Christus. Falso. Sed hanc huius connexi rationem veram habe: Christus mihi Paulo apparuit tanquam abortivo. Etenim, ut illud de abortiuo dictum illustrem, ego minimus apostolorum sum, utpote qui coetum Dei furiose persecutus sum. Adde 1 Cor. III, 10. 11. IV, 8. 9. it. v. 14. 15. V. 11. 12. Rom. V, 5. 7. it. Matthaei Deuarii librum de Graecae linguae particulis p. 87. Sed ad eam sententiam non solum inuiramus illius particulae usu, sed cogimur quoque natura duarum propositionum. Una propositio est: ego Paulus vehementissime moerens & anxius sum. Altera Propositio est: ego Paulus cupidissimus sum uel anathematis, pro gentilibus meis liberandis subeundi. Ergo hac posteriori propositione, quasi signo quodam anxi amoris luculentissimo, declarat apostolus priorem propositionem. Scilicet valet hic, quod Cicero ad Atticum libr. 2. epist. 39. scribit: *amor omnis quam sit sollicitus atque anxius, non ignoro.* Sed non est, quod in nexum illum amplius intueamur. Siquidem & breues esse volumus, & valde satisfecit, quem semper veneramur, Io. Christoph. Wolfius, in Curis phil. ad Rom. p. 165. 166.

X.

Cum igitur explications nostrae ab usu verborum haud recedant, & sententiae quas Paulo hic adsignauimus, cum sententiis reliquorum virorum, diuinitus afflitorum atque ipsius Pauli, alibi propositis, haud inepte sed amice concordent, arbitramur, ex sententiarum labyrintho nos euasisset tutos ac saluos.

DEO SIT LAVS ET GLORIA IN AETERNUM. AMEN.

Die XVI. Nouembris. 1743. duae plagulae in cathedra disputando.
excusae sunt.

Farbkarte #13

8
7
6
5
4
3
2
1
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
Inches
Centimetres

B.I.G.

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

78 M 490 595.3

DISPUTATIO PHILOLOGICA
DE
AVL I
EMATE VOTIVO
AD ROM. IX. 3
P R A E S I D E
E IVSTO SPIER
M. ET ACAD. BIBLIOTHEC.
P V B L I C E D E F E N D I T
B V S MOKOSCHINI
INTENSIS HVNGARVS
VITTEBERGAE SAX.
V E M B R. A. R. S. C I O C C X L I I I
F R A I M G O T T L O B E I C H S F E L D I
ACADEMIAE A T Y P I S